

028

026

032

remittuntur. Prout mihi ipsi contigit. Nam a duobus Legatis  
a latere in Alemanniam missis licentiam petii, qui dixerunt,  
neminem habere facultatem, nisi summum papae poenitentia-  
rium, ex singulari commissione domini Papae. Ideo magister  
generalis ordinis nostri nulli fratri licentiam Jerosolymam  
(visitandi) tribuit, nisi praesupposita papae licentia, vel habita  
vel habenda; prout patet in liberis Testimonialibus meis de  
hac peregrinatione.

Quantum ad quartum, quod sequitur, iam dictum, scilicet  
aggressio actualis ipsius peregrinationis. Quod innuitur, cum  
dicitur: Abi. Saepe namque contigit, quod quis omnia praetacta  
habet, scilicet propositum, ordinatum affectum, licentiam, et  
tamen non progreditur ad pereginandum. Qui considerat operis  
arduitatem, et pericula marina, et viarum discrimina, et  
gravitatem expensarum, et ideireo abire neglit. Tales sunt *Lege*  
similes illis, qui cum plurimum audaces sunt, et magna  
praesumunt, sed in aggressione desistunt, victi timiditate. De  
illis Aristoteles 3. Ethicorum, quod quidam sunt praevolantes  
ante bellum. Talem ego vidi, qui cum magnis sollicitudinibus  
obtinuit licentiam, et congregavit expensas, et fecit sibi fieri  
vestes peregrinales. Sed dum tempus aggrediendi advenit,  
formidulosus resiliit, vitae enervationem et bursae suae eva-  
cuationem timens.

Vidi etiam quosdam, qui usque ad mare venerunt, sed  
dum fretum cernerent, et ejus pericula auditu perciperent,  
redierunt. Et, quod amplius est, vidi quosdam, quasi usque  
ad medium maris deductos, qui fatigati maris incommodis  
redierunt. Hi egressi quidem erant, sed non viriliter aggressi,  
ideo non abierunt. Ideo dicitur: Egredere, et abi.

Quantum ad quintum, de modo debito peregrinandi servando,  
et qua via pergit, ostenditur, cum subinfertur: Post vestigia  
gregum. Supple: egredere, et abi. Multo enim minus reperiet  
peregrinus in terra sancta, quam intendat. Intendit enim  
evagari post greges sodalium Christi. Sed non poterat. Utinam  
cum pace et quiete post vestigia gregum sineretur incedere.  
Iam enim, heu! (B) non possumus sequi sodales Christi,  
pastores nostros, nec inter greges eorum incedere, sed cum  
grandi difficultate et cum timida evagatione vestigia gregum

022

037

017

077

127

Ende

Anfang

